Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Et exurgens de stratu suo abiit in capitolium adorare
serapen. Tunc descendit de celo uirga ignea. et per
cussit eum et dissipauit eum. et omnia membra eius.
Tunc cum festinatione ingressus capitolium suum ait.
Magnus es deus christianorum qui adiuuisti seruum tuum mari
num. adiuua me. Et hec eo dicente cessauit omnis do
lor. Et surgens ait serapy. adiuua me. Et cum hoc
dixisset ruit in faciem suam et uermes de ore eius habun
dauerunt. et mortuus est pessime. et dissipata sunt ossa
eius. et carnes. Et nichil iuuit eum serapis quem inuo
cauit. quia ira dei consumata est. et redacta est ad nichi
lum memoria eius. quia deus retribuit ei retributionem secundum opera
eius. Hec autem omnia contigerunt martiano imperatori. Gesta
sunt autem hec in ciuitate roma VII kl. ian. Regnan
te domino nostro ihesu christo nunc et semper et in secula seculorum amen.

Incipit sermo i. de sancto Johan
ne ewangelista. Lc.

FACTUM EST.
ut sanctus Johannes apostolus
qui uoluntate domicia
ni deportatus cum in
iuria fuerat in exilium.
cum honore ephesum
rediret. Occurrit autem
illi omnis populus uirorum
ac mulierum exultantes
et dicentes. Benedictus
qui uenit in nomine
domini. Cum autem ingre
deretur ciuitatem. Drusiana quedam. que semper eum se
cuta fuerat pro desiderio aduentus eius ualde fatigata.
efferebatur mortua. Tunc sanctus Johannes uidens pau
peres flentes et parentes atque uiduas simul cum or
phanis clamantes et dicentes. Sancte Johannes apostole ec
ce Drusianam efferimus mortuam que sciens tuis moni
tis obtemperando nos omnes alebat seruiens deo in cas
titate et humilitate et cottidie desiderabat reditum
tuum. assidue dicens. Si uideam apostolum dei oculis
meis antequam moriar. Ecce uenisti. et te uidere non
potuit. Tunc beatus Johannes iussit deponi pheretrum
et coram omnibus iussit resolui corpus eius. et clara uo
ce ait. Dominus meus ihesus christe exsuscitet te drusiana. Sur
ge et pedibus tuis reuertere ad domum tuam et prepara
michi refectionem. Ad hanc uocem surrexit et cepit ire sol
licita de iussione apostoli. ita ut uideretur ipsi drusiane.
quia non de morte sed de somno suscitasset eam. Factus
est autem clamor populi per tres horas dicentis. Unus

deus quem predicat Johannes unus et uerus dominus iesus christe. Al
tera uero die craton phylosophus in foro proposuerat de
contemptu ~~mundi~~ huius mundi spectaculum. ut duos
iuuenes fratres ditissimos quos fecerat distracto patrimo
nio gemmas emere singulas quas in conspectu omnium
frangerent populorum. Quod cum facerent pueri contigit inde
transitum habere apostolum. Et conuocans ad se cratonem
phylosophum. ait ad eum. Valde stultus est iste mun
di contemptus. qui hominum ore laudatur et condemp
natur diuino iudicio. Sicut enim uana medicina est
ex qua non absciditur morbus ita uana doctrina est ex
qua uicia non curantur animarum et morum. Magi
ster itaque meus iuuenem cupientem ad uitam eternam attin
gere his uerbis instruxit. ut si uellet perfectus esse.
uenderet omnia sua et daret pauperibus quo facto thesau
rum in celis acquireret. et uitam que finem non habet inue
niret. Cui craton dixit. Humane cupiditatis fruc
tus in medio hominum positus confractus est. Sed si
uere deus est magister tuus et uult hoc fieri ut pau
peribus erogetur census precii harum gemmarum duarum.
facias redintegrari. [illegible] ut quod ego feci ad famam
hominum. tu facias ad gloriam eius fieri. quem tuum ma
gistrum esse commemoras. Tunc sanctus Johannes colligens
fragmenta gemmarum ponensque in manu sua ele
uauit oculos ad celum et ait. Domine ihesu christe cui ni
chil impossibile est qui fractum mundum per lignum
concupiscentie per lignum crucis tue in tuis fidelibus re
staurasti. qui ceco nato oculos quos natura negauerat
reddidisti qui mortuum lazarum et sepultum post
quartum diem ad superos reuocasti. et omnes morbos omnesque
egritudines uirtutis tue uerbo curasti. adesto nunc
super istos lapides preciosos quos ignorantes huic fruc
tui elemosine contriuere ad plausus hominum confre
gerunt. tu domine per manus angelorum tuorum resolida atque recu
pera. ut precio eorum misericordie usus expletus faciat credentes
te ingenito patre per unigenitum filium tuum. dominum
nostrum ihesum christum. spiritu sancto illuminatore et sancti
ficatore totius ecclesie. Cumque respondissent fideles qui
cum apostolo erant amen. ita solidata sunt fragmen
ta gemmarum ut nec signum aliquod remaneret
lesionis. Tunc phylosophus Craton simul cum illis
iuuenibus et cum uniuersis discipulis suis pedibus eius ad
uolutus credidit et baptizatus est cum omnibus et ce
pit fidem domini nostri ihesu christi publice predicare. Duo uero
illi fratres uenundantes gemmas quas uendito pa
trimonio suo emerant pauperibus tradiderunt. et ce
pit infinita turba credentium adherere apostolo.